32

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA DE OFFICIO OBSTETRICANTIVM IN PARTV NATVRALI ET CAVTO REMEDIORVM ILLVM PROMOVENTIVM VSV

QVAM

DIVINA AVSPICANTE GRATIA

INDVLTV

GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA ARGENTINENSIVM
VNIVERSITATE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

CAPESSENDI

SOLENNI PHILIATRORVM EXAMINI

SVBMITTIT

HENR. DANIEL HÖLLING,
HANNOVERANVS.

AD DIEM 2. JVNII MDCCXXXVIII.

ARGENTORATI,
Typis MELCHIORIS PAVSCHINGERI, Typogr.

AVGVSTISSIMO

atque SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO

LVDOVICO,

PRINCIPI WALLIÆ,

MAGNÆ BRITANNIÆ

ET ELECTORATVS HANOVERANI

PRINCIPI HEREDITARIO,

DVCI

BRVNSVICENSI ET

LVNEBVRGENSI,

RELIQVA,

PRINCIPI
AC DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO,

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
DEVOTISSIMA MENTE CONSECRAT

REGIÆ EJVS CELSITVDINIS

HVMILLIMVS ET SVBJECTISSIMVS

SERVUS AC CLIENS

HENR. DANIEL HÖLLING.
Hannov.

PRAEFATIO.

CUm vel vulgo notum ſit, ambiguum eſſe parturientium inſtante & durante partu ſtatum, ita ut non raro, omnibus quidem indiciis ad promptum & felicem ſucceſſum apparentibus, difficilis tamen diuque pro-

tra-

tractus, imo funeſtus evaſerit; hinc non immerito, illas alterum pedem in cymba Charontis habere, dicitur, ſie ſtünden mit einem Fuß auf dem Grabe / & dolendum ſane eſt, dubiam illam mulierculárum ſortem imperitis utplurimum obſtetricibus committi, quæ non raro miſeras, partim ruditer tractando, partim præmature ad labores adigendo, partim etiam retardatum quacunque de cauſa partum præpoſterè remediis promovendo, plurimis calamitatibus exponunt, quam Methodum vel ex traditione vel ex Medicorum quorundam tam antiquorum quam neotericorum libris conſiliisve hauſerunt, nam non ſolum plurimi, qui de materia medica tractatus edidere, ſed & alii non pauci in practicis ſyſtematibus & artis obſtetriciæ peculiaribus commentariis innumera reliquerunt medicamenta, quibus partum promoveri poſ-

ſe,

ſe, ſibi aliisque perſuaſerunt, ſed ſi rite examinantur, plerumque falſa & vana imo nociva deprehenduntur. Hinc operæ pretium eſſe duxi, obſtetricantium in partu naturali officium, inprimis circa cautum remediorum illum promoventium uſum in ſpecimine Inaugurali pro ingenii modiolo explicandi. Quoniam autem obſtetricanti quam maxime neceſſaria eſt Anatomica uteri conſideratio, prius de eo in ſtatu naturali conſtituto, tum de gravido, & ejus usque ad geſtationis finem mutationibus aliquid prælibabo, ſubjuncta partus naturalis & officii obſtetricantis deſcriptione, tandem remedia illum promoventia annectam. Deus T. O. M. qui immenſa ſua benignitate & omnipotentia admirandam ſexui ſequiori in fœtu alendo & excludendo energiam conceſſit, me quoque Divina ſua ſapientia illuminet, ut hi reliquique mei in

arte

arte Medica conatus vergant ad ſui Nominis gloriam & proximi emolumentum.

Tandem B. L. rogo quæſoque, velit huncce ingenii mei fœtum benigne ſuſcipere, nec arrogantiæ me accuſare, dum doctiſſimorum alias Medicorum ſententiam refellere conatus ſum: potius ea, quæ à juvene adhuc Medico & obſtetricante minus accurate prolata ſunt, æqui bonique conſulere.

§. I.

VTerus eſt viſcus ſexui ſequiori tantum proprium, ſubalbidum, ſitum in pelvi, non quidem ſemper in medio, ſed modo verſus dextram, quod frequentius, modo verſus ſiniſtram hypogaſtrii partem, inter veſicam & inteſtinum rectum, quibus per ſic dictam peritonæi duplicaturam fortiter adhæret.

§. II.

Figura in maturis ante graviditatem eſt inſtar pyri certi generis, vel vitri urinalis compreſſi, ſi nempe vaginam ſimul comprehendere velis, cujus pars ſuperior ſimul & paulo poſterior verſus ſecundum circiter oſſis ſacri foraminum par, fundus dicta, duas pollices, inferior ac paulo anterior, cervix ſive collum, unum pollicem, longitudo autem tres pollices, & craſſities ſeſqui pollicem circiter æquat, ita tamen ut fundus craſſior collo exiſtat, & hæcce magnitudo pro varietate ſubjectorum variet, uti etiam alia viſcera.

§. III.

Exterius uterum obtegit membrana valida, ab exteriori peritonæi portione enata, continua cum illa vaginæ, veſicæ & inteſtini recti, hancque inferius mediantibus his partibus oſſibus pelvis valide annectens, confer. DOMINICI SANTORINI *Obſervat. anat. Cap. XI. §. 12.* ſuperius vero lævi & æquali ſuperficie anteriorem & poſteriorem partem ambit, & ab illis liberum diſtinctumque relinquitur. Tunica hæcce laxam, mollem lateque expanſam in lateribus a fundo ad vaginam usque efformat duplicaturam, fibris quibusdam ſatis robuſtis, arteriis item ac venis ex hypogaſtricis & ex parte ſpermaticis, ut & copioſis nervis intertextam, peritonæo continuam, & cum hac lateribus pelvis vicinis ſpeciatim ligamentis oſſis ilii cum oſſe ſacro utrinque jungentibus annexam, ob figuram & uſum alæ veſpertilionum & ligamenta uteri lata vocantur. In hac duplicatura continentur tubæ Fallopianæ, ovaria, nervi & vaſa ſpermatica ad illa tendentia, item ligamenta ſic dicta rotunda, & portio vaſorum nervorumque ad uterum abeuntium.

§. IV.

Præterire hic non poſſum, quin verbo indigitem, FRID. RVYSCHIVM *in catalogo rariorum p.* 184. negare nexum ligamentorum cum peritonæo, dicendo: *partes membranaceæ inter Tubas & ovaria ligamenta uteri lata audiunt, ſed falſo; horum interventu tubæ quidem ovario alligantur, non vero uterus peritonæo, niſi in ſtatu præternaturali.* Imo KERCKRINGIVS *in ſpicilegio Anatom. Obſerv. 20. p. 47. ſqq.* fervide contra VESLINGIVM, BARTHOLINVM & LAVRENTIVM affirmat: *quæ ligamenta dicuntur uteri, veſpertilionum alis aſſimilata, eum non ligare, nec oſſi ilio nec*

nec cuiquam alteri alligari, ſed libera fluctuare &c. Et licet PHILIP. VERHEYEN. *Anat. Lib. I. Tr. II. Cap.* 25. ejusdem cum KERCKRINGIO videatur eſſe ſententiæ, dum illum quodammodo excuſat, non tamen veretur aſſerere, *horum ligamentorum uſum eſſe, uterum utrinque æqualiter tenſum tenere, & rotunda etiam deſcenſum impedire, quatenus membranæ peritonæi alligantur.* Sed quia rotunda inclusa ſunt latorum duplicaturæ, fateri debet etiam lata ſuperius peritonæo continua eſſe & alligari, id quod etiam eximii in arte Anatomica viri ſtatuunt, inter quos tantum GRAAF. *de mulier. organis C. X.* DIONIS *Anatom. Sect. II. demonſtr. IV. & Traité des accouch. L. I. cap.* 2. JOH. SALTZMANN. *diſſert. de Utero §. XIV.* HEISTER. *in comp. Anat.* §. 236. SANTORINVM *l. c.* WINSLOW. *Expoſ. Anat. traité du bas ventre* §. 601. allegabo. Interim facile concedo, ea propter laxitatem in ſtatu naturali, & non gravido utero, pro eo retinendo parum conferre, nec eo tempore illis uterum opus habere, contendo cum KERCKRINGIO & SANTORINO quoniam tunc molis exiguæ, & validis parietibus & membranaceis ligamentis ſeptus & alligatus ſit. Quod vero eorum uſum in graviditate attinet, de eo inſequentibus dicetur.

§. V.

Ligamenta ſic dicta rotunda, juxta plurimos hodiernos Anatomicos, ſunt vaſa ſpermatica & hypogaſtrica omnis generis, (uti ex injectionibus & GRAAFII *fig. XI.* ac SVVAMMERDAMI *figuris de uteri muliebris fabrica, & aliquo modo* B. EVSTACHII *Tab. XIII. & XIV.* patet, quam ob rem D. WINSLOW. ea potius funiculos vaſculares appellat) ex fundi uteri lateribus utrinque duo latis principiis prope tubas Fallopianas & ligamen-

gamenta ovariorum paulululum antrorſum oriunda & ſpithamæ circiter longitudine ad inguina producta, quibus ſubſtantia cellularis intertexta, & duplex membrana dicta duplicatura enata, ſuper inducta eſt, deſcendendo primum uteri collo aliqualiter annexa ſunt, inde magis ab utero recedunt & anguſtantur, ut lumbricos quaſi referant, tandem muſculos abdominales paulo anterius & exterius quam in viris perforant, & ſparſis ibidem per pinguedinem pluribus filamentis, in formam pedis anſerini ſeſe expandentibus, prope clitoridem & labia evaneſcunt. Interim DIONIS *l. c.* quasdam fibras ligamentis ſuperioribus & anterioribus osſis femoris inſeri perhibet, imo *citatus* SANTORINUS *§. XIII.* non ſolum præter vaſcula, etiam ſæpisſime conſpicuas valentes ac lacertoſas fibras, in gravidarum vel puerperarum ligamentis rotundis reperiſſe ac demonſtraſſe aſſerit, ſed & eorum ſuprema latiora ſummum fundi inſtar zonæ vel fundæ amplecti, & extrema non in clitoridem nec circumfuſam pubi pinguedinem, verum inter obliqui deſcendentis & aſcendentis muſculi tendines in editam osſium pubis partem disjectis fibris inſeri, ſimulque antiquam VESALII *de C. H. Fabr. cap.* 25. & BARTHOLINI *Obſervationum* 88. *Vol. II.* ACT. HAFFN. ſententiam de intertextis fibris carneis contra GRAAFIUM defendit. Ex hac ſtructura ſequitur horum ligamentorum uſum non ſolum eſſe, uterum rectum tenere, ne in hoc vel illud latus inclinet, & nimium ejus aſcenſum impedire, ſed & DIONIS opinio veroſimilis videtur, illa tanquam muſculos actione ſua uteri fundum virgæ appropinquare, ſicque generationem multum juvare, & multis hæc aſſertio ſtipata videtur circumſtantiis, hoc eorum officium demonſtrantibus, quas tamen hic ſilentio prætermittam. Porro SANTORINUS & hoſce uſus addit,

nimi-

nimirum utero obicem ponere, ne nimium turgente fœtu in ſuperiora liberius trudatur, & ejus contractionem juvare, qua placenta expellatur. Tandem DEVENTER *Arte obſtetr. P. l. C.* 4. & hunc uſum annectit, ut uterus poſt partum in locum ſitumque reſtituatur.

§. VI.

Quoad ſtructuram uteri, merito cum MALPIGHIO fatendum eſt, eam adeo obſcuram eſſe, ut pene impoſſibilem ſibi indicet reſolutionem, idque tam ob Auctorum mire diſſentientium multitudinem, quam ſtructuræ diverſitatem: alius enim apparet ſtructuræ in virginibus, in quibus magis albicans, compactus, denſa fibrarum compage & exigua cavitate præditus eſt, contra in iis, quæ venere multum uſæ ſunt, vel gravidæ fuerant, major, magis rubicundus, laxus, ſpongioſus ac cavus exiſtit, in imprægnatis hæc pro mole contenti fœtus adhuc magis augentur. Paucis ſtructura uteri in virginibus hæc eſt. Conſtat duplici membrana cum intermedio intertextu vaſculoſo-muſculoſo. De externa membrana & ejus ſuperficie aliquid jam §. 3. indigitatum, nunc ejus ſtructura porro evolvenda venit, valida illa eſt & fibroſa, extus uti dictum lævis, niſi iis in locis, ubi in ejus ſuperficie quandoque vaſa lympha turgida conſpiciuntur; quæ vaſa lymphatica quidem copioſa à GRAAFIO *Tab. XI.* delineantur, ſed potius ex brutis deſumpta eſſe videntur, uti nec ipſe in defenſione *part. Genit. p.* 262. diſſimulat, eorum vero exiſtentiam probat WINSLOW. *l. c.* §. 623. ſic elevatur etiam hinc inde hæc tunica a vaſis ſanguine turgidis, id quod magis adhuc apparet, ſi flatus vel materia ceracea vaſis immittitur, major huic membranæ accedit inæqualitas iis in locis, ubi vaſa ſanguinea inter ligamenta intrant,

intus autem rugoſa eſt, quo facilius dilatari, & innumeris plicis ſeſe in ſuppoſitam uteri ſubſtantiam inſinuare poſſit, cui ope fibrarum ac vaſorum fortiter adhæret. Structura uteri primo intuitu carnoſa videtur, cum ANTON. *van der* LINDEN *in Meletem. Phyſiol.* §. 48. *p.* 23. dixeris carni quid ſimile in toto corpore non reperies. Ita enim dura eſt, & veluti ex plurimis nerveis reticulariter implicitis membranis, ac triplicis generis fibris motricibus rectis, transverſis & obliquis in faſciculos & lacertos carnoſos coagmentatis, compacta, ita ſimul ſpongiæ inſtar foraminoſa eſt, ac tubulis innumerabilibus pervia, quæ vaſa eſſe, inflatio & injecta materia ceracea docuit. Nervi inferiorem præſertim fundi & colli partem ſubintrant, ita tamen, ut pars ejus ſuperior, ligamenta, tubæ ac ovaria iis non deſtituantur v. GRAAF *Tab. VIII.* & quidem e triplici origine; par enim octavum acceptis hinc inde ſurculis ab intercoſtali, tandem plexum meſentericum inferiorem format, a quo plures nervulos, ad uterum abeuntes, delineavit VIEVSSENS *Nevrogr. Tab. XXIII. Nro* 81. conf. WINSL. *l. c. tr. de Nerſs.* §. 141. porro e medulla ſpinali per ſecundum tertium & quartum oſſis ſacri foraminum par tranſeunt aliquot ſurculi, qui partim in uterum, partim in pudenda diſperguntur. v. THOM. WILLISIVS *Tab. II.* & WINSLOW. *l. c.* §. 303. & 304. Quibus accedit nervus ſic dictus intercoſtalis, qui e cerebro oriundus, juxta latera vertebrarum utrinque ad os ſacrum usque progreditur, ſuſcipiens e ſingulis hiatibus propagines medullæ ſpinalis. Hoc par intercoſtale in fine oſſis ſacri arcum format, a quo uterus etiam aliquot ſurculos adipiſcitur, v. VIEVSS. *Tab. XXIII. Nro* 84. Ex communicatione horum nervorum, uterus cum omnibus fere totius corporis partibus internis & præſertim cum cerebro communionem habet, ita ut non ſolum in affectio-

fectionibus hyſtericis, infimi mediique ventris viſcera & ipſum caput in conſenſum trahantur, ſed etiam his affectis uterus compatiatur. Imo cum par intercoſtale aliquot in locis per ſurculos cum nervis cruralibus communicet, mirum non eſt, extremitates inferiores tantum cum utero conſenſum habere v. VIEUSS. *Tab. XXIII. Nro 89. & 92.*

§. VII.

Quod jam vaſa attinet ſanguinem in uterum devehentia & revehentia, ſunt illa copioſiſſima, ubique fere conjuncta. Arteriæ oriuntur partim a ſpermaticis, partim ab hypogaſtricis, & licet hæ inferne & illæ ſuperne uterum accedant, nihilominus ſpermaticæ non fundo tantum proſpiciunt, ſed etiam cervici, & vice verſa hypogaſtricæ, utrinque enim ita cum ſe invicem junguntur, ut utero inſertæ, diſtingui amplius non poſſint, ab hæmorrhoidalibus & Iliacis internis etiam quasdam arterias ad uterum abire, quidam contendunt v. BOERHAAVE *Inſtit.* §. 664. & citat. VATERUS *de Utero gravido.* Dictæ illæ arteriæ ad latera uteri flexuoſo ductu inſeruntur, ac varios hinc inde ſerpentinos & ſibi invicem implicitos ramos emittunt exterius ac interius, qui etiam uterum circumcingunt, & varie cum ſe invicem per anaſtomoſes conjunguntur, non vero immediate cum venis, licet NEEDHAM. *de format. fœtus.* illud tanquam valde probabile agnoſcat. Illæ anaſtomoſes clarius apparent, ſi externa illa membrana caute aufertur, & uno in latere arteria quædam inſignis flatu vel materia ceracea diſtenditur. Idem etiam de venis tam ſpermaticis & hypogaſtricis, valvulis in hoc viſcere carentibus, quam Iliacis internis & hæmorrhoidalibus externis verum eſt, quæ uti in reliquis partibus hic

quoque

quoque numero & capacitate arterias ſuperant; hinc vel ex hoc capite ab arteriis diſtingui poſſunt, pro meliori autem adhuc diſtinctione, diverſo colore cera tingatur; eleganter injecta ambo vaſa vide apud GRAAF & SWAMMERDAMUM *l. c.* His vaſis etiam addit BOERHAAVE *l. c.* arterias & venas ex ramo Iliacæ externæ per funiculos vaſculoſos ſive ligamenta rotunda ad uterum decurrentes, & WINSLOW. *l. c.* §. 617. venis uteri illud peculiare tribuit, quod etiam cum venis hæmorrhoidalibus internis & conſequenter cum vena portæ communicent. In uteri ſubſtantiam exporrecta hæc vaſa, varie inter carnoſas ejus fibras ſerpentino & reticulari ductu dividuntur, dum aliæ interius viſui ſeſe ſubducunt, aliæ ex uteri ſubſtantia iterum emergunt, modo ſtylum vix admittunt, modo auricularis digiti magnitudinem æquant, imo licet tubuloſa ſint, & continuato tramite ferantur, ab ambiente tamen involucro varie deturbantur, ut multiplices formas acquirant. Tandem horum vaſorum extrema vermicularia & innumerabilia a RUYSCHIO *in theſ. anat. II. pag.* 56. ex utero ovillo deſcripta & delineata, internam uteri membranam propriam attingunt, eamque multis exiguis foraminibus conſpicuis perforant, per quæ guttulæ ſanguinis, ſi fortiter prematur uterus, exprimantur, iſta tamen orificia non hiant nec aperiuntur niſi illo tempore, quo fluxum menſtruum patiuntur mulieres vel conceperunt.

§. VIII.

Membrana illa, a quibusdam nervoſa dicta, circa fundum unita & æqualis eſt, verſus orificium autem rugoſa & multis plicis inſtructa, in quibus foraminula cum parvis glandulis humorem glutinoſum fundentibus

bus conſpiciuntur. Cavitas, quam hæcce membrana inveſtit in virginis utero, admodum exigua eſt, amygdalam minorem vix capiens, vid. Graaf. *Tab. VIII. IX. X.* ſubtriangulari figura, cujus latera verſus interiora curvantur, uti a Barth. Evstachio *Tab. XIV.* & Winslovv. *l. c.* §. 592. deſcribitur; in fundo, ubi ordinario placenta ſeſe applicat, majorem habet craſſitiem quam in lateribus, ſuperius duobus oſculis, ſetam vix admittentibus, in tubas Fallopianas terminatur, inferius in collo oblongam habet cavitatem, & prioribus paulo majus orificium transverſaliter apertum, quod tamen vix ſtylum exiguum capit, & os uteri internum appellatur, figura refert glandem penis ſed paulo obtuſius, vel os Tincæ piſcis, hiatque in vaginam, a qua undique magis diducta amplectitur.

§. IX.

Vagina eſt canalis interne inſtar inteſtini tenuis amplus, nerveus, papillaris, membranoſus & elaſticus, rugis copioſis obſitus, quæ tamen non ſunt circulares, nec regulariter diſpoſitæ, ſed hinc inde, imprimis a lateribus, per ſpatium quoddam intercipiuntur, ubi tendineum quid interjectum eſt, conf. Verheyen *l. c. Tab. XVII.* Exterius inter membranoſam & laxam ſubſtantiam fibræ carneæ longitudinales excurrunt; Vaginæ longitudo æque ac latitudo variat, illa enim a 4. ad 7. imo 9. digitos transverſos, hæc ad ſesquipollicem in virginibus extenſa a variis auctoribus traditur, poſt partum vero ſemper magis dilatata & brevior reddita obſervatur.. Sita eſt inter veſicam & inteſtinam rectum, iisque per cellularem ſubſtantiam fortiter adhæret, & conſequenter etiam oſſibus pelvis, peculiare

etiam

etiam ligamentum ab oſſe ſacro & coccygis ad imum vaginæ latus, inteſtino recto in medio comprehenſo, decurrens, eamque ſuſtinens, deſcribit SANTORINVS *l. c. cap. XI. §. 8.* Hinc inde interius lacunæ reperiuntur, ſæpe ſetam admittentes, & copioſum humorem unctuoſum, a glandulis minimis paſſim inter rugas diſperſis ſecretum, item ab aliquot majoribus in parte laterali & poſtica ſitis, & a CASPARO BARTHOLINO *in epiſt. de ovar. mulier.* primum deſcriptis, vid. SANTORIN. *l. c. Tab. II. fig.* 4. & e corpore glandoſo infra urethram poſito, fundentes. Arterias habet ab hypogaſtricis & hæmorrhoidalibus, hæ inferioribus ejus partibus proſpiciunt, illæ vero a lateribus ingreſſæ, reliquis, & ſuperius quidem cum uteri arteriis utplurimum uniuntur, venæ copioſiores ac capaciores itidem cum venis uteri ſuperius conjunguntur, & ſanguinem hæmorrhoidalibus externis & hypogaſtricis infundunt, nervi præſertim e ſacri oſſis foraminibus ultimis ortum ducunt. Inferius vagina in pudenda finitur, ſub his notanda utrinque larga fibrarum muſcularium feries a SANTORINI transverſali ani muſculo orta, & tendine ad clitoridis crura contendens, vaginam arctans; porro circulus membranoſus ſive membrana, hymen dicta, a qua primo coitu dilacerata carunculæ myrtiformes oriuntur, inferius in comiſſura rimæ replicata cutis quaſi ligamentum format, frænum (Gall. la fourchette) dictum, cui ſuppoſitum eſt perinæum ſive ſpatium inter fiſſuram magnam & anum, quæ in partu primo non ſine dolore dilatantur. Reliquas tam uteri quam vaginæ partes, ut & pudenda, quoniam nihil vel parum ad ſcopum faciunt, ſtudio omitto. Cæterum quum pelvis cognitio tum propter ſitum harum partium tum propter partum neceſſaria ſit, pauca de ea ſubnectemus. Pelvis cavitas proprie dicitur illa oſſium ſacri, coccygis,

Ilion,

Ilion, coxæ & pubis interior concameratio, in qua uterus non gravidus cum vagina, inteſtino recto & veſica ſitus eſt, dicta autem oſſa præter coccygis ſuperius adhuc eminent, marginem pelvis formantia: eam exacte DEVENTER *l. c. fig.* 1. & 2. repræſentat. Differt ordinarie pelvis fœminæ ab illa viri, vid. MAVRICEAV *l. c. Lib. II. cap. I.* quoniam os ſacrum in fœmina magis rectum eſt, atque inferius cum oſſe coccygis minus introrſum cedit; oſſa ilii minori ſpatio oſſi ſacro connexa, & extrorſum magis exporrecta, tubercula oſſium coxæ crasſiora & magis diducta, & oſſa pubis anterius magis protracta, ac minori ora juncta ſunt, inferius autem angulum rectum vel obtuſum cum ſe invicem formant, præterea omnia hæc oſſa tenuiora exiſtunt. Dicta autem hæc cavitas non ſecundum longitudinem ſpinæ dorſi tendit, ſed ab imo verſus anteriora aſcendendo progreditur. A bona vel prava pelvis forma cæteris paribus partum naturalem vel difficilem ac præternaturalem exacte ac prolixe deducit ſæpius citat. DEVENTER. *Cap.* 23. & 27.

§. X.

Quodſi ovulum impregnatum, intra tenuisſimas membranas proprium liquorem cum minimo embryone recondens, in utero continetur, primum abundanti humorum copia innatat, tum petiolo, quo ante ovario adhæſerat, nunc in fundo accreſcit, & nutrimentum ſubtilisſimum haurit, quo ipſo ſanguis ad illum locum invitatur, increſcens parumper ovulum ſimul & placentulam majorem factam uterus amplectitur, ejus arteriæ hiantes cum poris & villis ovuli concreſcunt confer. HEIST. *comp. anat. ed nov. Tab. VI. fig.* 27. mem-

 branæ

membranæ craſſiores redduntur, & copioſiori liquore magis diſtenduntur. Interea cum plethora, quæ ſingulis menſibus menſtrua provocaverat, ab illo parvulo embryone non conſumpta ſit, circa tertiam ſeptimanam ſanguis in dilatata parumper vaſa majori facilitate & quantitate ruit, aſt cum ultimi fines a placenta & ovulo undique tunc claudantur, ibi exitum non invenit, regurgitat ergo in vaſa, eaque una cum uteri ſubſtantia dilatat, vel per vaſa vaginæ quandoque exit; Jam circa tertiam vel quartam ſeptimanam ovulum circiter nucem juglandem vel ovum gallinaceum æquat, embryone tamen fabam non ſuperante, quo enim origini ſuæ propior eſt fœtus, eo majori gaudet liquidi copia; uterus autem circa medium magis preſſus, dilatationem tum non facile admittit, quare partim circa oſtium internum, ubi nulla exrerna presſio, dilatatur, unde illud non ſolum aliquo tempore poſt imprægnationem ob uteri aliqualem intumeſcentiam clauditur, & expreſſo e glandulis cervicis muco inviſcatur, vid. MORGAGNI *adv. An. I. p.* 37. ſed & poſtea circa dictum terminum magis acuminatum, durum ac ſolidum evadit, ut ſimillimum ſenties roſtro catuli recens nati, confer. MAURICEAU *l. c. Lib. I. cap.* 7. *pag.* 97. & DEVENTER *l. c. pag.* 14. partim & magis quidem adhuc in fundo, ubi non ſolum placenta ob majorem liquidi arterioſi conſumtionem plus hujus laticis allicit, & vaſa protuberare facit, ſed & ille locus liber a presſione externa exiſtit, nam expanſiones membranaceæ ligamentorum rotundorum fundum amplectentes, facile dilatationem ſuſcipiunt, cum fere ejusdem cum utero ſtructuræ ſint.

§. XI.

§. XI.

Poſtea ovum de die in diem majora capit incrementa, ipſamque placentam non ſerum ſolum, ſed & ſanguis ipſe ingreditur, embryo illum etiam per funiculum ad placentam remittit, major agglutinatio, major liquidi ſecretio, & omnium harum partium extenſio fit, hinc etiam uterus ſuperne magis magisque a dilatatis vaſis elevatur, ſimul vaſa vicina, parum reſiſtente circumpoſita ſubſtantia cellulari, in uteri medio ampliantur & extricantur, intumeſcens hoc modo undiquaque uterus inſtar veſicæ repletæ oblongus evadit, ligamenta ilata a copioſiori affluo ſanguine plus turgida tenduntur, ulteriori cervicis prolongationi reſiſtunt, ac tum demum ligamentorum officio funguntur, ſimul autem dolores ſpaſtici in pelvi & circa lumbos oriuntur. Porro circa tertium impraegnationis menſem fœtus ſtupendo modo excreſcere incipit, tunc enim jam quatuor pollices longus, & omnibus principalioribus partibus, licet adhuc exiguis, inſtructus eſt: Conf. MAVRICEAV *l. c. Lib. I. cap. V.* KERKRINGIVM *in oſteogenia Tab. XXXIII.* & RVYSCHIVM *in theatris anat.* paſſim. Utplurimum in ſphæræ figuram quaſi complicatus & immobilis tunc deprehenditur, longo funiculo & copioſo gaudet liquore amnii, qui eum ab omni externa preſſione defendit, ſimulque uteri fundum verſus ſuperiora extendit, apparente etiam aliquali abdominis ſub umbilico intumeſcentia externa.

§. XII.

Cum itaque fœtus intra quartum & quintum menſem major ac vegetior factus, jam membra ſua moveat, & manus imprimis pedesque ad latera membra-

narum & uteri contigua extendat (a quo medium geſtationis tempus computant mulierculæ) & de die in diem magis increſcat, ita ut uno menſe plus incrementi capiat, quam prius tribus menſibus ſimul ſumptis, majori etiam alimenti copia opus habet, hinc ſanguis, inter ſpongioſam fibrarum compagem per vaſa maxime dilatata in magna quantitate undiquaque lente propulſus, ac quaſi ſtagnans, diſtribuitur, quo ipſo moles uteri mire augetur, globoſus evadit, retrahitur a ligamentis latis orificium internum, fitque planius, mollius & ita clauſum, ut fiſſura vix ſentiri poſſit. Ad ultimum usque terminum eo usque extenditur uteri fundus, ut juxta calculum HENRICI a DEVENTER pars *ſupra ligamenta inferiorem ſexta vel octava, ne dicam decima ſexta vel viceſima ſuperet*, *vid. l. c. pag.* 39. & *fig.* 4. Verum licet uterus ab affluo ſanguine & mole fœtus ſenſim in tantam extendatur magnitudinem, eandem tamen ſervat craſſitiem, imo majorem adhuc quandoque acquirit, id quod contra MAVRICEAV *l. c. cap.* 4. multis rationibus & imprimis multiplici experientia defendit DEVENTER *l. c. cap.* 8. ſic etiam DIEMERBROCK *Anat. Lib. I. cap.* 37. & MALPIGH. *de utero in* MANGETI *Biblioth. anat. Tom. I. pag.* 685. circa ultimos gravidationis menſes eum unius & quandoque duorum digitorum craſſitiem æquare deprehenderunt, & SANTORINVS *l. c.* §. 9. in muliere 15. filios antea feliciter enixa, tandem inſtante partu poſt irritos conatus mortua, præter alia notat uteri craſſitiem digito auriculari majorem, etiam Dn. MERY *in H. A. R. Sc. anno* 1706. *p. m.* 27. teſtatur, ſe in apertura puerperæ 4. horis poſt partum mortuæ, uterum muſculoſum & 8. lineas craſſum inveniſſe, & Clar. RVYSCHIVS præter craſſitiem etiam peculiari tractatu deſcripſit muſculum orbicularem, quem in fundo uteri puerperæ reperit, eique uſum aſ-

ſignat,

ſignat, etiam fortiter ibi adhærentem placentam contractione ſua ſponte expellere, quem etiam hac hyeme in theatro anatomico in puerpera aliquot diebus poſt partum mortua videre licuit.

§. XIII.

Placenta eſt corpus planum plus minus rotundum, diametrum habens 8. vel 10. circiter pollicum; craſſitiem in medio unius pollicis, a quo verſus peripheriam attenuatur, arteriis, venis & vaſis lymphaticis, vagina membranoſa clauſis, conſtans copioſiſſimis, in concava parte, qua fœtum reſpicit, glabra, & non niſi a turgentibus vaſis imprimis circa medium elevata, ubi funiculus umbilicalis, duabus arteriis, una vena & uracho continuato, in communi vagina, quaſi cartilaginea, hinc inde contorta, incluſis, oritur, & longitudine dimidiæ ulnæ Pariſinæ & unius pollicis craſſitie umbilico fœtus inſeritur; convexa vero ſuperficies multis tuberibus & ſulcis inæqualis eſt, fundi uterini fungoſis partibus protuberantibus annexa; porro placenta inveſtitur tribus membranis diſtinctis, chorio, amnio & allantoide, priores inſtar veſicæ diſtentæ cum liquore ſeroſo fœtum umbilicali funiculo nexum continent, quarum extima, chorion dicta, craſſa eſt, plurimis fibrillis intertexta, exterius non nihil aſpera, multis vaſculis ſanguiferis conſperſa, inque varias lamellas dividua, harum exterior circa placentæ marginem tenuis, facile lacerabilis convexam illius partem obtegit, vid. Ruysch, *Theſ. anat. X. p. 25.* interior vero concavæ arcte juncta eſt, altera amnios, internam & lævem prioris ſuperficiem interne cingens, tenuis admodum, mollis, ſimplex & pellucida eſt, in qua nulla vaſcula conſpicua ſunt, vid. Neufville *de allantoide* §. 2. tertiam vero, allantoidem

dem hic Auctor etiam in homine dari, & inter amnion & chorion, qua placentam reſpiciunt, reperiri, auctoritate & experientia multiplici in citato tractatu probat. Nexus vero placentæ cum utero, quantum ſumma vaſculorum exiguitas, & opportunæ occaſionis raritas videre permittit, hic eſſe videtur, arteriæ innumerabiles ex utero verſus placentam protractæ capaciſſimæ quidem ſunt, ſed mox exilisſimos ramulos formant obliquos, quibus in oſcula venarum placentæ hiant, quæ ſtatim capaciores ſanguinem ad funiculum & per venam umbilicalem ad fœtum pro nova nutritione devehunt, binæ vero umbilicales arteriæ a fœtu ſanguinem nutritione orbatum per placentæ arterias, earumque minutisſima oſcula venis uteri infundunt. *Preſſa enim e recenti placenta innumera guttula ſanguinis aliorumque humorum, & hac ipſa obliqua vaſcula microſcopiis cernenda juxta* BOERHAAVE *Inſt.* §. 679. *id evincere videntur.* Sic etiam MERY *H. A. R. Sc.* 1708. *p.* 45. orificia tam in placenta quam in utero ſenſibiliter patula vidit; item Celeberrimi quidam Anatomici tinctum liquorem & Mercurium per uterum in placentam tranſiiſſe animadverterunt, referente HARTTRAMFFT *diſſ. Inaug. de non differenda ſecundinarum adhærentium extractione* §. 7. Ipſe etiam interfui, cum Dom. HOMMEL Anatomiæ hac in Univerſitate Prodemonſtrator expertisſimus præterita æſtate ſubtilisſimum liquorem in vaſa hypogaſtrica gravidæ 7. vel 8. menſium, lue venerea extinctæ, injiciſſet, ubi illum aliquot in locis per uterum in placentam, & viciſſim injecta arteria umbilicali in uterum tranſiiſſe obſervavimus, quamvis tam propter extravaſationem liquoris per lateralia vaſa abſciſſa, quam propter vaſculorum exilitatem nexum accurate examinare non potuerimus. Tandem hæmorrhagia extinctæ gravidæ fœtus exſanguis; adhærente licet placen-

placenta a D. Mery *H. A. R. Sc. l. c.* recenſitus noſtram opinionem probare videtur.

§. XIV.

Internis partibus extenſis ſuccedunt etiam externæ, abdomen enim primo ſupra oſſa pubis intumeſcit, ut, eo placide compreſſo, etiam uterus turgidus ſentiatur, & ſenſim ille tumor altius & ad latera æqualiter ſe extendat, ac foſſula umbilici plane extenuetur, imo promineat. Sub tali ſucceſſivo fœtus & uteri incremento, gravida frequentibus affligitur incommodis, non enim ſolum magna illa uteri moles extenſione & compreſſione annexas vicinasque partes, in hypochondriis, dorſo, lumbis, pelvi, inguinibus & femoribus male afficit, dum integumenta abdominis fere ad crepaturam extenſa ſint, & tota moles inguinibus incumbat, ligamenta lata etiam annexas partes moleſte attrahant, inteſtina, renes, ureteres & veſica contenta excrementa non commode propellant, viſcera, vaſa, nervi ac muſculi hinc inde comprimantur, unde digeſtio, chylificatio, ſe- & excretiones, ſanguinis & aliquorum humorum jugis circulatio impediantur, nervoſæ partes doleant, muſculi femoris ſtupeant, & ſæpe vacillent, atque tumores pedum œdematoſi & varicoſi ſuperveniant; ſed & moleſtiæ remotius extenduntur. Primis enim imprægnationis diebus vel ſeptimanis ob immutatum ſanguinis & fluidi nervei circulum nauſea ac vomitus quandoque, imprimis in delicatis, excitantur, ſuccedunt varii atque frequentes dolores in capite, & propter ſurſum preſſum diaphragma reſpiratio difficilis, tuſſis, anguſtia præcordiorum, palpitatio cordis ac lipothymia.

§. XV.

Imo fœtus ipſe ultimis menſibus maxima parit incommoda, qui, licet cum matre bene valeat, attamen inevitabilibus quibusdam moleſtiis afficitur. Ille enim incurvato dorſo & inclinato capite manus ac genua faciei, umbilicum matris reſpicienti, pedes vero ac cubitos clunibus & coxis applicans, in utero quietus ſedet, fere ſemper dormiens; major autem fœtus majus idque continuum deſiderat nutrimentum, ſed quoniam ultimis menſibus lympha nutritia e ſanguine matris non tam copioſa ſemper per venam umbilicalem ipſi demandatur, & liquor amnii non perpetuo eadem nutritiva qualitate renovetur (ſi per os etiam fœtum nutriri ſtatuere volumus) qualem ille exoptat, appetitu ſæpius in motum excitatur, hinc ſemper fœtus alias quietus, mane poſt longum matris jejunium motu ſuo novum nutrimentum quaſi expoſcit; porro urina in renibus ſecreta, & per veſicam & urachum ad allantoidem delata, ut & fœces inteſtinales auctæ, nec expelli potentes, mole, pondere & acrimonia fibras fœtus ſtimulant; ſimul etiam, firmatis jam ſufficienter omnibus partibus, moleſtiam a ſitu ſuo ſentit, alienam vero hiſce malis afferre medelam nequit, niſi ſe movendo, (id enim omnibus animalibus imo vermibus peculiare eſt, ut motu dolorem avertere tentent) ſed illo tempore membranæ paucum, habito ad corporis molem reſpectu, circumfuſum continent liquorem, quamobrem impedita extenſio fœtum ad majorem motum excitat; ergo capite, manibus pedibusque contra uterum impingit, qui convulſus fœtum licet reſiſtentem fortius comprimit, ille tandem defatigatus per aliquod temporis ſpatium quieſcit. Verum ex iisdem cauſis ſæ-

pius motum repetere cogitur, & eadem ſemper accidunt, donec prono capite præceps verſus cervicem & os uteri prolabatur, ibi ob loci opportunitatem detentus, prægrandi capitis mole veſicam, os coccygis & inteſtinum rectum moleſte premit, & teneſmum excitat, hæ partes ſenſum moleſtum utero & muſculis abdominalibus communicant, qui ſtimulati fœtum fortius in anguſtias comprimunt, ille quantum poteſt contranititur, & manibus quidem interne uterum cum ſubſtratis vaſis ac nervis, imprimis etiam ligamenta lata æque ac rotunda, vellicat, quæ contracta dolores tam in lumbis quam in oſſe pubis provocant, pedibus autem tunc liberrimis verſus uteri fundum calcitrando, huic & muſculis abdominalibus ac diaphragmati ſpaſticas contractiones ſuſcitant, quorum actionem, detento ſimul diu in pulmonibus ſpiritu, deorſum premendo, & abdomen arctando, fortiſſimæ uteri contractiones, ab ejus fundo verſus cervicem protractæ, adjuvant, & caput in pelvim, retrorſum flexo oſſe coccygis, propellunt. Hi motus contractivi ſumme doloroſi ſunt parturientibus, & merito dolores genuini, Germanis die Kinds-Wehen dicuntur, dantur enim etiam ſpurii, de quibus prolixe & exacte agit Deventer *l. c. cap.* 17. Recurrunt autem & remittunt rurſus hi motus, & redduntur breves aut protracti pro matris ac fœtus viribus aliisque circumſtantiis. Tandem ſummis utriusque nixibus os uteri internum laxum, & liquore mucilaginoſo, e glandulis cervicis expreſſo ſtriis ſanguineis intermixtis, largiter inunctum, ſenſim planius & tenuius fit, ac dehiſcit; in hunc hiatum propulſæ membranæ glabræ, liquore diſtentæ, ſtatim ſe inſinuant, illumque quovis dolore blande & æqualiter dilatant, dilatationem hanc ſenſim factam ſubſequens caput, per compreſſionem paulo oblongius redditum, ſemper adjuvat, donec

ſufficienter dilatato oſtio, membranæ a fortius adacto capite rumpantur, & aquæ effluant, mox ſummo niſu caput cum toto fœtu per vaginam ab humore unctuoſo lubricam, & plus minus facile pro ratione ætatis vel conſtitutionis dilatabilia pudenda, ex ergaſtulo protruditur in auram, ſubſequentibus ſtatim funiculo, nulli parti circumtorto, cum placenta, membranis ei adhærentibus omnibus, & ſanguine e vaſis uteri a ſeparata placenta effluo.

§. XVI.

Cæterum hæcce theoria nullam pati videtur difficultatem eo in caſu, ubi fœtus vita & motu gaudet, verum cum etiam per aliquod tempus mortui æque facili partu excludantur, uti contra MAVRICEAV *l. c. Lib. II. cap. X. p.* 261. DEVENTER *l. c. cap.* 32. LANG. *diſſ.* 42. *cap.* 3. §. 1. *&* 14. ALBERTI *Juriſprud. Med. p.* I. *cap.* 9. §. 6. hoc ex teſtimonio HAGENDORN. *Cent.* 3. *hiſt.* 10. *p.* 294. FASCHII *Diſſ. inaug. ſub* SLEVOGTIO *de partu naturali collato cum præternaturali* §. 30. de la MOTTE *des Accouch. Obſ. CI.* aliorumque auctorum, imprimis etiam D. D. JACOBI FRIDII in arte medica pariter ac obſtetricia experientiſſimi & feliciſſimi, Patroni atque Præceptoris ad cineres usque colendi, patet, alio etiam modo mechanismum partus naturalis explicandum eſſe opinor. Quodſi fœtus ante ſui inverſionem, abſente hæmorrhagia uteri vel alio graviſſimo matris ſymptomate, morbo correptus moritur, ejusque morbidi ac moribundi conatus matricem, ad partum nondum diſpoſitam, tunc non accelerant, flaccidis omnibus partibus, aquis fluctuans, matris motum ſequitur, ut hac decumbente, inſedente vel ſe incurvante tota mo-

les

les inæqualiter ſuo pondere utero incumbat, a quo incommodo irritantur fibræ nerveæ, & ſæpe ſpasmodicæ uteri tenſiones ſentiuntur, quibus uterus ad partum diſponitur, contractione enim fibrarum in fundo ac lateribus, craſſis ac reſiſtentibus, nulla fit mutatio, aſt verſus cervicem retractum & tenuem impulſæ aquæ, illum in vaginam ſenſim deprimunt, quo ipſo, ſpatio uteri aucto, majus robur acquirunt partes uteri ſuperiores, ac recurrentibus ſæpe iisdem cauſis, cervix magis attenuatur, deprimitur, imo aperitur; ſi nunc accidit, ut fœtus mortuus motu matris & capitis pondere in cervicem prolongatum cadat, & ibi ex ſupra dictis detineatur, uterus ab inerti ac flaccida mole inæqualiter premitur, parum diſtenditur, hincque ſpaſtice afficitur; porro quia aquæ plurimam partem ſuperius continentur, & tanquam corpus fluidum facilius uteri contractionibus cedant quam fœtus, ſupernæ partes fortius contrahuntur, his vero nimis reſiſtentibus, ſucceſſive major aquarum & capitis, (fœtu probe verſo) in cervicem impulſus, ſimulque preſſio contra veſicam & inteſtinum rectum, hincque dolor, repetita & aucta contractio, omniaque, quæ dolores veros excitant, partum promovent, & abſolvunt, uti §. anteced. dictum. Licet ergo concludere, fœtum quandoque, utut nec urinæ ac meconii acrimonia, nec mole, nec ſitu, nec alimenti ac ambientis liquoris paucitate ad exitum incitetur, partum promovere poſſe. Interim temeritas eſſet, partum tam quoad terminum, quam omnes fere circumſtantias unice mechanices regulis determinare velle, quoniam ſumme admiranda & imperſcrutabilis Dei, tam in generando quam naſcendo homine, omnipotentia imperfectam noſtram ſcientiam immenſe ſuperat. Potius cum DAVIDE *Pſalmo* 139. mirabilia ſummi Creatoris in formando homine opera celebremus.

§. XVII.

Ad talem vere naturalem partum nullis ferme aliis quam propriis adminiculis opus habent parturientes, prout vel iter facientes, & imprimis caſtra ſequentes ex neceſſitate, vel meretrices ad facinus celandum, ſolas enixas fuiſſe, exemplis proſtat; Aſt cum etiam illis, quæ plures liberos cito & felici partu edidere, non ſemper idem accidat, obſtetrix aliæque perſonæ tres vel quatuor, præſertim mulieres amicæ, officio præſtando adeſſe debent. Ante partus dolores imprimis in primiparis, & ætate jam profectis, partes externæ linimentis emollientibus & balneis, præſertim vaporoſis, laxandæ, flatus ac tormina ventris pannis calidis applicitis diſſipanda, & injecto clyſtere paregorico ac leniter carminativo alvus aperta ſervanda, diæta tenuis & eupepta ſuadenda, ſi plethora urget, venæſectio in brachio inſtituenda, frigida tempeſtas ignis calore moderanda, & omnia utenſilia pro matre ac infante ad manus habenda. Leves & raros adhuc dolores parturiens non urgeat, ſed vel incedendo per cubile vel decumbendo fortiores ac frequentiores expectet, apparentibus hiſce, vel in lecto peculiari (Gallis le petit lit) vel ordinario ſubſtratis linteis duplicatis inſtructo, vel appropriato ſedili, commode collocatæ, ut medium inter accubitum & decubitum ſitum obſervet, vel ſi ambo deſint, ſtanti, manibus fixo corpori applicatis, vel genibus nixæ, vel fortis perſonæ gremio, aut cuicunque ſedili, inſidenti opem adferant obſtetrix & præſentes, harum aliquæ ſingulis doloribus parturientis humeros, crura divaricata, genua ac pedes extremos, ne e ſitu ſe moveat, prehendant, alia lumbos manibus vel genibus reprimat, vel ſi in lecto ſita eſt, ab utroque latere una mantili, æqualiter extenſo, illos ſuſtineat. Hoc enim modo

partu-

parturiens nixu perpendiculari uterum comprimere, ac partus negotium cito ac feliciter abſolvere poteſt. Obſtetrix autem palpato prius undique abdomine, an non una parte plus quam altera promineat, immiſſo in vaginam verſus orificium indice, oleo vel butyro illito, illius ut & membranarum ſtatum exploret, & quidem ante, in & poſt dolores, ut exacte comperiat, quomodo dictum orificium aperiatur, & extenſæ membranæ cum capite, recto ſitu ſubſequente, illud dilatent; hiſce autem rite ſe habentibus, non quovis dolore tactum inſtituat, quoniam hæ partes nimis ſenſibiles facile irritantur. Suadent quidem nonnulli, ut inter orificium, una in parte nimis craſſum, & membranas butyri recentis ac frigidiuſculi fruſtulum immittatur, vel ope ſyringæ oleum injiciatur, verum, ſi unctuoſus liquor in ſufficienti copia e glandulis cervicis excernitur, his non opus eſt, imo facillime ruptis membranis aquæ præmature effluunt, partumque retardant. Exterius perinæum in ſtrictis nimis, & præcipue primiparis, inunctuo digito leniter dilatetur, & regio circa anum, imprimis ſi hæmorrhoides protuberant, delibuto linteo & vola manus blande ſuſtineatur. Durante autem quovis dolore parturiens, quantum poteſt, recto ſitu & utraque manu æqualiter vel mantilia, ad ſpondæ inferiorem partem alligata, attrahat, vel, prehenſo reſiſtente corpore, renitatur, omnique nixu, quam diu tenſiones in lumbis ſubſiſtunt, inclinato capite, absque clamore, inſpiratione valida, depreſſo diaphragmate, & compreſſis abdominalibus muſculis, quaſi fœces alvinas duriores dejectura, allaboret, illo autem finito, ad quietem ſe componat, donec novæ irritationes ſuboriantur, tum, repetitis & auctis ſenſim doloribus, caput in dilatatum a membranis orificium compellitur, fortiter comprimuntur inteſtinum rectum & veſica, magis irritatur

ritatur uterus inferne, majusque ſpatium ſuperne acquirit, hinc major undiquaque conpreſſio; ut continuis tum & fortisſimis doloribus caput ad exteriora propellatur; tum blande orificium circa caput, utriusque manus indice & pollice amplexum, reprimendum eſt, donec ſponte rumpuntur membranæ; & ſi forte nimis validæ ſint, vellicatione unguium vel ope aciculæ lacerentur, effluxas aquas caput ſtatim inſequitur; tunc obſtetrix illud utraque manu prope aures apprehenſum fortiter attrahat, ne orificium circa collum conſtringatur; ſuperatis illud humeris, tota ipſius moles citisſime ſuccedit. Interim hic aliquot circumſtantiæ ſedulò ab obſtetrice obſervandæ ſunt. 1.) An non funiculus umbilicalis collo circumtortus ſit, tum enim non ſupra humeros attrahat infantem, ſed prius funiculum ſuper caput quantocius detrahat, imo illum aliquoties collum fœtus ambientem, ac nimis adſtrictum, forfice abſcindat, &, compresſis ab adſtantibus ejus extremitatibus, fœtum attractum expediat. 2.) Si ille diu jam mortuus ac ſemiputridus fuerit, caute capite protrahatur, ne avulſum illud partum difficilem reddat. 3.) Infantem extractum vivum in gremio ſuo ita collocet, ut ejus facies ipſam reſpiciat, ne ab aquis & ſanguine, uno rivo effluentibus, ſuffocetur. 4.) Excluſo fœtu, imprimis fœmina valde tumente, abdomen undique tangat, inquirens an non quodam in loco tumor inſignis appareat, quod vel alium adhuc infantem vel molam adeſſe innuit, hoc in caſu, antequam placenta, niſi ſponte exeat, extrahatur, prius juxta funiculum ligatum manum utero immittat, & ſi alius adhuc infans membranis involutus bene verſus reperitur, membranas rumpere ejusque partum naturæ committere debet, juxta MAVRICEAV *Obſerv.* CDLX. & DXL. PEV *pratique des Accouch. cap.* XII. §. 19. PAVL PORTAL

PORTAL *practique des accouch. obſ.* 8. & 70. aliisque, verum De La MOTTE *des accouch. oſ. CCLXXXIV.* in reflexione potius ſuadet, ut ſtatim ruptis membranis foetus pedibus extrahatur, licet optime verſus ſit. Quodſi placenta non eo ipſo momento tam contractione muſculi Ruyſchiani & totius uteri muſculoſæ compagis, quam ligamentorum rotundorum, ſimul excluditur, obſtetrix circa quosdam lævæ manus digitos funiculum convolutum fortiter detineat, ſimul dextra prope pudenda verſus adverſam partem, ubi utero adhæret, attrahat, hac autem non ſtatim ſubſequente, ne ſanguis in funiculo refrigeratus coaguletur, ille primo aliquot pollices ab umbilico fœtus filo quadruplicato ter vel quater circumtorto & nodis firmato, deinde ulterius aliquot pollices verſus matrem ſimili modo ligetur, ac medio loco reſecetur. Infante tum adſtanti tradito, obſtetrix paulo fortius huc illuc attrahat funiculum, vel ſi gemini fuerint, & placentæ conjunctæ, ambos; & puerpera nixu, tusſicula, manui complicatæ inflando, vel brachiis ſuper caput extenſis, excluſionem promoveat, comitante hanc ordinario ſanguine e vaſis apertis large profluente. Hoc facto, an placenta integra & membranæ, nulla relicta parte, excluſæ ſint, examinandum, pudendis lintea calida pro arcendo noxio aeris acceſſu applicanda. Antequam obſtetrix operi finem imponat, jubent autores, imprimis DEVENTER *l. c.* C. 28. ut obſtetrix manu utero inmiſſa grumos ſanguinis auferat, ne illi, conſtricto uteri ore, novos cruciatus ac dolores provocent. Si vero ex quacunque cauſa dolores nimis diu urgent obſtetricantem absque partu ſuccedente, vel ſi aquis diu effluxis uterus quidem bene locatus & fœtus probe verſus ſit, attamen partus non inſequitur, imo quando dolores tergiverſantur, ſolenne muliercularum eſt, ad remedia partum promoventia con-

D cur-

currere, quorum inſignem numerum in medicorum ac obſtetricantium libris reperire poſſumus ac ſæpiſſime ab obſtetricibus, adſtantibus mulieribus, imo Medicis adhiberi videmus; verum quia partim vana ac ſuperſtitioſa, partim noxia ut plurimum ſunt, in ſequentibus tam eorum (quantum poſſibile) enumerationem quam explicationem tradituri ſumus.

§. XVIII.

Vana ea appello remedia, quæ ex antiqua traditione vel ſuperſtitione effectum quendam edere credita ſunt, qui neque cum ratione neque experientia convenit; licet enim poſt applicita talia remedia partus interdum ſatis cito abſolutus fuerit, illud tamen remedio non eſt tribuendum, quod alias ſponte factum eſſet. Interim tanta antiquorum Medicorum fuit credulitas, ut ejusmodi remediis multum tribuerint, & idcirco eorum mentionem in libris reliquerint, quos adhuc hodie multæ imitantur mulierculæ, Medicum rationalem vel invitum quandoque ad ea concedenda cogentes. Imprimis *Lapidi Ætiti*: Adler-Stein, peculiarem partum promovendi virtutem affinxerunt, ſi femori parturientis ſiniſtro alligetur; excluſo autem fœtu & ſecundinis, ſtatim removendum eſſe tradunt, ne matrix ſimul etiam excidat; easdem circumſtantias etiam *oſſe cordis cervi*, *Coralliis*, *lapide Lazuli* aliisque *gemmis* obſervarunt, ſerio autem *Adamantem* & *Samium*, ut & pyra & e pulvinis pennas gallinarum tanquam partus remoras auferri jubent; porro dextra manu detentum *Magnetem*, umbilico inunctam *pinguedinem ſerpentis*, vel illam *Cervi* pone ejus oculos reperiundam, ſtatimque poſt partum abluendam, item regioni umbilicali cingulum e *corio cervi*, intra duo Sanctæ Mariæ Virginis feſta occiſi,

vel

vel *exuvias ſerpentum*, forte fortuna inventas, applicatas; femoribus verſus genua herbam *Dracontii* alligatam, plantis pedum *pennas Vulturinas* ſubjectas, embryonem ſuaviter trahere. JASO a PRATIS de *pariente & partu* p. 45. Sommer in Weiber- und Kinder-Pfleg-Büchlein p. 83. aliique perhibent. Sic etiam parturientem poſt irritos dolores *induſium* mariti & *calceum dextrum* induiſſe, & ſtatim peperiſſe, teſtatur Babſt in Artzney-Kunſt- und Wunder-Buch P. I. p. 25. & PAVLINVS in heilſamer Dreck-Apothecke *Part. III. Cap.* 28. refert parturientem ex conſilio vicinæ *induſio* & *caligis* mariti amictam, *hepaticam ſtellatam* recentem calceis indidiſſe, & mox poſt aliqualem deambulationem partum feliciter edidiſſe. Multis etiam *Roſa de Jericho* ſacra anchora eſſe ſolet, quæ ab obſtetrice coram parturiente aquæ commiſſa, ramulos expandendo partum facilem reddere creditur, confer. M. MAPPI de dicta *Roſa* diſſertatio. Præter dicta certis nationibus ac familiis peculiaria quædam amuleta mirum quantum deprædicantur.

§. XIX.

Sic & alia ad hunc ſcopum medicamenta in- & externe a Medicis paſſim commendantur, quæ quidem innocua ſunt, &nullam peculiarem virtutem poſſident; ad hanc claſſem pertinet, ſi aquæ, in qua duo vel tria *ova* recentia ad duritiem cocta ſunt, ſeptem cochlearia addito uno mellis virginei & tribus cuſpidibus cultri pulveris pellicularum ovorum, e quibus pulli excluſi fuere, calide potantur, idque, ſi intra dimidiam vel unam horam partus non ſuccedit, repetatur; Item duo taleoli *radicis Lilii albi* comeſti, duo vel tres *Leporis tali* pulveriſati, item portio *Muſci* canalibus ligneis in puteo accreſcentis avellanam pondere æquans, conciſa in bro-

 dio

dio Cicerum vel alio aſſumpta. Sed, quænam virtus ex inertibus, terreſtribus & leviter mucilaginoſis his partibus promanare poſſit, non video. Idem etiam cenſendum de conſilio FORESTI *Libr. XXVIII. Obſ. LXIX. Schol.* quo fœmina poſt aliquoties comeſta 5. vel 6. grana *Juniperi* cum ficubus, maxima facilitate gemellos pepererit; de ôleo *Momordicæ* infuſo, quod VOLKAMER *in E. N. C. Dec. I. anno 7. Obſerv. 72.* ad ℥j. clyſteribus inditum mire laudat; de ôleo *olivarum* aſſumpto & ventri illito, de quo BORELLVS *Cent. II. Obſ. 25.* de mica panis ex *hydromelle* continuo durantibus doloribus manducata, v. HELVVIGS Weiber-Spiegel *p.* 293. de *lachrymis Cervi* magnitudine ciceris in vino aſſumptis v. **Goldhammer Weiber- und Kinder-Artzt** *p.* 88. aliisque plurimis.

§. XX.

Majori vero cautela opus eſt circa talia partum promoventia, quæ, particulis plus minus acribus, ſalinis ac ſulphureis conſtant, in maſſa ſanguinea orgaſmum excitant, & fibras contractiles ſpaſtice afficiunt. Quodſi quis omnia ex Auctoribus colligere velit, vel ſola recenſione magnum volumen explebit, quare ſimplicia ac eorum præparata tantum eaque uſitatiſſima allegabo. Et quidem e regno vegetabili eminent: Rad. *Ariſtolochiæ rotundæ veræ* rechte Oſterluzey-Wurtzel, quæ reliquis ſpeciebus præſtantior, ſaporem habet valde amarum & ſal fixum, paucumque volatile in ſubſtantia pinguiori fovet, Rad. *Dictamni albi* weiſſer Diptam, cum priore coincidit, *Dictamni vero Cretici* Cretiſcher Diptam, folia & flores odoriferi ſunt, & ſaporis acris aromatici, multumque ſalis eſſentialis ac ôlei continent. Lignum & folia *Sabinæ* Seven-Baum, ſal aromaticum volatile oleo-

oleoſum cum multo fixo reſinæ incluſum habent. Herba *Rutæ* Rauthen, vim aromaticam penetrantem & ſpirituoſam obtinet, cui quoque ſalia fixa aſſociata ſunt; *Artemiſiæ* Beyfuß, *Meliſſæ* Meliſſen, *Pulegii* Poley, conſtant ſale aromatico volatili cum quibusdam fixis, *Matricariæ* vero Methram, *Roris marini* Roßmarin, & *Salviæ* Salbey, penetrantiore ſale illas ſuperant. Flores *Cheiri* Nägel Violen / & *Antheræ Liliorum alborum* gelbe Gipffel von den weiſſen Lilien, ſale plus minus fixo cum paucis volatilibus fœti ſunt, ſaporis ſubacris ſubamari, odoris fragrantis. Dictæ radices, herbæ, ſummitates & flores ſucco partim ſaponaceo, partim aromatico fixiori vel volatiliori genus nervoſum & fibroſo-muſculoſum ſtimulant, excitant, roborant, humores pituitoſos attenuant, incidunt, diſſolvunt ac calefaciunt, ſe- & excretiones promovent; vires ergo haſce præter alia viſcera etiam in utero exerunt. *Crocus* edler Saffran, tam Orientalis quam Auſtriacus, præbet flores, conſtantes ſalibus fixis & volatilibus fragrantiſſimis & penetrantibus, junctis blando oleo ſeu unctuoſitati, ſaporem habent amaro-aromaticum, datur in ſubſtant: ad ℈ß.; *Cinamomum* Zimmet, eſt cortex tenuis, ſaporis acris, ſuaviter pungentis, ſub dulcis & aromatici, odoris fragrantiſſimi, conſtat ſale volatili oleoſo copioſo, inſigniter aromatico & ſpirituoſiſſimo cum ſubdulci blandoque lentore, doſis in ſubſt. a ʒß - ʒj. *Caſſia lignea* Mutter-Zimmet, fere cum priore convenit, niſi quod ratione virtutis aromaticæ ſit debilior, aſt ratione viſcoſitatis efficacior; *Caſſia caryophyllata* Näglein-Zimmet, eſt itidem cortex ſapore acri aromatico, odore ad caryophyllos accedente præditus, qui in multa viſcoſitate ſalia volatilia oleoſa continet, uſurpatur in ſubſt. à ℈j - ʒß *Caryophylli aromatici* Nägelein, ſunt fructus ſaporis & odoris inſigniter aromatici, conſtant ſale volatili admodum

penetrante ſubtili & oleoſo; *Anthophylli* Mutter-Nägelein/ ſunt iidem fructus maturi, ſed viribus paulo debiliores, ambæ ſpecies dantur in ſubſt. ad gr. vij. in infuſ. ad ʒß. *Macis* Muſcat-Blüht, eſt membrana craſſiuſcula nucem moſchatam cingens, ſaporis acris aromatici, ſuaviter amaricantis, odoris fragrantis, habet ſal aromaticum oleo ſociatum paulo temperatius quam caryophylli, doſ. in ſubſt. ad ℈ß. in inf. ad ʒij. Dicta aromatica ob volatilia tam olea quam ſalia ſubtiliſſima, per minima invicem unita, ita tamen, ut oleum plus minus prædominium obtineat, in- & externe applicata fibras-nerveas & motrices ſtimulant, & motum oſcillatorium excitant, ſpiritus animales reliquosque humores in majorem motum exagitant, unde major ſolidarum & fluidarum partium attritus, celerior ſanguinis circulatio, & intenſior per totum corpus calor, oriuntur, humores pituitoſos, craſſos, incidunt, reſolvunt, attenuant, tonum viſcerum augent, & ſpiritus in momento reficiunt, hinc etiam uterum ad contractionem partim ſtimulant, partim ſanguinem per dilatata vaſa promptius adigunt, imo erumpere faciunt. Præter dicta Crocus ob abundans blandum oleum ſimul reſolvente & anodyna virtute gaudet. Semina *Cumini* Römiſcher Kümmel, *Carvi* Matten-Kümmel & *Dauci* Mohren-Kümmel ac *baccæ Lauri* Loohr-Bohnen, pro principiis habent ſalia volatilia aromatica, blandæ viſcoſitati incluſa; ſaporem acrem, aromaticum, plus minus gratum, odorem fragrantem; Quoad vires conſpirant cum præcedentibus, niſi quod ſalia non tam volatilia ſed olea craſſiora exiſtant, ex ſemine Carvi contuſo & in vino albo cocto, addito uno vel altero mellis cochleari, mulierculæ hauſtum uſitatiſſimum Matten-Kümmel-Wein, propinant. Semen *Lini* in multa oleoſa mucagine parum ſalis volatilis recondit,

quare

quare non ſolum lenit ac laxat, ſed etiam reſolvit & aperit, peculiaremque virtutem fœtum ac ſecundinas pellendi habere dicitur. Porro e regno vegetabili ab autoribus ad partum promovendum ſucci concreti, uti *Myrrha*, *Galbanum*, *Aſa fœtida*, *Camphora* & *Euphorbium* partim interne partim externe uſurpantur. *Myrrha* Myrrhen, eſt Gummi-reſina ſale tam volatili quam fixo cum intenſiſſima amaritie conſtans, ſaporis ſubacris valde amari & aromatici, odoris fragrantis, hinc easdem habet vires, ac ſupra dicta amaro aromatica, & quidem ob penetrantes & copioſas particulas reſinoſas adhuc fortius aperit, attenuat, calefacit ac ſiccat, datur à ℈ß. ad gr. xv. *Galbanum* Galben-Safft, eſt ſubſtantia gummoſo reſinoſa ſaporis ſubacris, ſubamari, nauſeoſi, odoris gravis fragrantis, *Aſa fœtida* Teuffels-Dreck, eſt ſimiliter ſubſtantia gummoſo reſinoſa ſaporis acris, mordacis, lenti, aliquantum nauſeoſi, odoris fragrantis gravis Allium mentientis, particulis ſalinis volatilibus oleoſis ſtimulant, attenuant, diſſolvunt & calefaciunt, doſis illius à ℈j-ʒß. hujus à ʒß-ʒj. ob ingratum autem ſaporem utplurimam tantum externe adhibentur, & Aſa quidem fœtida, Camphora & caſtoreo, in anatica quantitate ſindoni incluſis, pyxides obſtetricum replentur, quas parturientibus offerunt, ut ore aperto, & forti inſpiratione gravem eorum exhalationem attrahant. *Camphora* Campffer / eſt ſubſtantia ſalino volatilis, pinguis, oleoſa, penetrantiſſima, ſaporis acris, amaricantis, pinguis & lenti, odoris fragrantis & gravis, ob ſummam particularum ſubtilitatem ad promovendum partum fere tantum externus, uti ante dictum, ejus uſus, ut & *Euphorbii*, quod eſt concretum gummoſo-reſinoſum, ſaporis acerrimi, exurentis, nauſeoſi, odoris nullius, ob ſalia volatilia oleoſa cum aliquibus fixis, maſſæ noſtræ ſan-

guineæ

guineæ maxime adverſis, errhinum & purgans eſt potentiſſimum in ſubſt. datur à gr. v-x.

§. XXI.

E quibusdam allegatis ſimplicibus præparata quædam in uſum cedunt, ſic proſtant *Trochiſci de Myrrha, pulv. ad Dyſtok. & ad partum Auguſt.* △*æ deſtillata ſimplices Liliorum alborum, Cheiri, Artemiſiæ, Puleg. Carvi, Cumini, Meliſſ. Ror. marin. Rut. Salv. Sabin. & compoſitæ* ▽ *Cinamomi bugloſſ. & cum Vino, Meliſſæ cum Vo & Magiſtralis ſ. Eau des Carmes, Reg. Hung. Salviæ comp. Vitæ Mulier.* ▽ *Hyſterica Quercet. Croci Rezæ, Hirund. cum caſtor.* ▽a ſive *balſamum embryonum; Syrupi Artemiſ. Cinamon. &c. Eſſentiæ Croci, Myrrhæ, Sal volat.* ☍*ſ. Sylv. Elix. uterinum Croll.* ☍ *deſtillatum Cinamomi, Caryophyll. Meliſſæ Puleg. Rutæ, Sabinæ, uterinum, balſami embryon.* item *olea cocta & infuſa, Cheirinum, lil. alb. lini* &c.; quæ virtutes a ſimplicibus quoad maximam partem exaltatas poſſident, ac vel ſola vel aliis mixta in- vel externe ordinari ſolent; Sunt etiam auctores, qui ſuadent infuſum *fol. Sennæ*, ut tormina & cum illis dolores ad partum excitet, pro eodem ſcopo quidam etiam emetica exhibent. Pro uſu interno tandem etiam inſerviunt, quæ vires parturientis conſervant ac refocillant, qualia ſunt *juſcula carnium ſimplicia & conſummata, gelatinæ*, item *Vina* vel *Cereviſiæ veteres ſimplices* vel *aromatizatæ, Confectio Alkermes* aliaque acidula. Externe naribus odor *cepæ* recenter diſſectæ, ut & ſternutatoria attrahuntur; adhibentur etiam *Herbæ Emollientes* ac *Uterinæ* pro balneis, inſeſſibus & epithematibus, item unguenta & emplaſtra ex emollientibus vel ſtimulantibus, umbilico, abdomini & pudendis applicanda, tandem Clyſteres emollientes, diſcutientes, acriores, ſuppoſitoria, peſſaria & ſuffimigia irritantia.

§. XXII.

§. XXII.

Regnum minerale etiam quædam remedia ſuppeditat ab autoribus commendata, inter quæ principaliora ſunt *Borax*, *Glacies Mariæ*, *Succinum*, *Ambra* & ⊖ *Ammoniacum*. *Borax* Borax, eſt ſal ſalſum fixius, in Cryſtallos concretum, ſaporis acris, ſalini & nitroſi, doſ. à ℈j. ad ʒß. *Sal Ammoniacum* Salmiack, eſt ſubſtantia ſalina, cryſtallina, factitia, ſale ſalſo volatiliori prædita, doſ. à ℈ß. ad ʒß. ambo agunt fibras ſtimulando & humores incidendo & attenuando. E ſale ammoniaco proſtant *flores ſimplices*, qui a gr. iij. ad ℈ß. dati fortius eundem edunt effectum quam ſimplex ſal; ejusdem *flores cum cineribus clavellatis* & cum *limatura ferri vel lapide hæmatite* parati, ſimplicibus floribus penetrantiores habentur, porro *Sal Anglicum volatile*, quod ob admixtum *Oleum Lavendulæ* volatilius eſt, & tantum externe naribus admovetur pro excitandis & refocillandis lipothymicis, Item *ſpiritus* ⊖ ♓*ci cum calce viva & cineribus clavellatis*, qui interne a gtt. ij. - x. - xxx. dati fortiſſime ſtimulant, attenuant, incidunt, penetrant, aperiunt, externe naribus admoti ſubito excitant, & ſpiritus reficiunt, pro menſibus & partu pellendis ille cum calce viva paratus, vel etiam calx viva cum ſale ♓co vel urina mixta, exhalationes per inſtrumentum Glauberianum ad uterum emittentes, hunc vehementiſſime ſtimulant. Tandem *Spiritus Salis* ♓*ci ſuccinatus*, qui ſpiritus ſalis ammoniaci & Oleum ſuccini æmulatur, hinc præter allegatas, vires maſſam ſanguineam magis adhuc calefacit, doſ. ad gtt. x - xxx. *Glacies Mariæ* Frauen-Eiß, eſt concretio tenera, cryſtalli inſtar pellucida, calcinata in pulverem albiſſimum ſaporis ac odoris expertem abiens, hinc nil niſi iners calx eſſe videtur, doſ. ad ʒj. *Succinum* Agtſtein, eſt minerale

durum, reſinoſum, odoris, ſi accenditur, fragrantis, ſalia volatilia oleoſa habet cum acidis volatilibus, incluſis reſinoſis craſſis & terreis, hinc acrimoniam ſalinam temperat & inviſcat, blande diſcutit, reſolvit, aperit & calefacit; doſ. ʒß - ʒj. Ejus præparata ſunt *Succinum album & flavum præparatum* quorum doſ. a ℈j. ad ʒß. *Eſſentia ſuccini*, quæ ob extricatas ope ſpiritus vini rectificatisſimi reſinoſas particulas etiam balſamica eſt, ſanguinem attenuans, abſtergens, commovens, fibrasque ſtimulans, doſ. a ℈j - ʒj. Porro *ſpiritus, ſal & oleum ſuccini, volatilia* quæ fortiora ac penetrantiora cum eſſentia quoad vires conſpirant, doſ. ſalis a gr. vj - ℈ß. ſpiritus a gtt. iv - x. & olei a gtt. iv - ℈ß. *Ambra gryſea* beſte Ambra, eſt ſubſtantia pinguis bituminoſa, acidum volatile in ſe recondens, ſaporis pinguis, odoris ſuavis & fragrantis, ob ſal volatile oleoſum imprimis in nervos & ſpiritus animales exigua ſui mole citisſime agit, eosque ſtimulat, & ſanguini particulas volatiles ſpirituoſas præbet, quibus ejus circulatio celerior redditur, & vires in momento refocillat; in paucisſima quantitate aliis additur. Reſpiciendum tamen ad Idioſyncraſiam, quia paucisſimæ fœminæ ejus odorem ferre poſſunt. In officinis proſtant *Eſſentia Ambræ liquida Mindereri*, *Eſſentia ſicca completa & inconpleta*, quæ ad aliquot gttas vel grana aliis admiſcentur, aut ſiccæ per ſe ad ℈ß. exhibentur.

§. XXIII.

Tandem etiam medicamenta ad partum promovendum e regno animali adhibita conſideranda ſunt, inter quæ eminent *Caſtoreum*; *Moſchus*; *Zibethum*, *fel & hepar Anquillæ*, *Ægagropilà*, *teſticuli equini*, *ſecundinæ & urina humana*, *infuſum ſtercoris equini*, *ſpiritus & ſal C. C. volat.*

liquor

liquor C. C. ſuccin. Caſtoreum Bibergeil, eſt ſubſtantia glandulofa, ſaporis acris, amaricantis, nauſeoſi, odoris gravis, penetrantis, ſpecifici, conſtans ſale volatili oleoſo, penetrantiſſimo, pinguedini incluſo; quare easdem cum ſalibus volatilibus oleoſis habet virtutes, præter illas etiam commotiones molitur, & licet incidenter per aliquot horas ſpasmos ſopiat, vehementius tamen eos reſuſcitat, capitis dolores, temulentiam & præcordiorum anguſtias infert, præſertim ſi nauſeoſa & vomibunda pathemata conjuncta ſint, doſ. a ℈j—ʒß. Exterius naribus admotum vel ſolum, vel, uti dictum, cum Camphora & Aſa fœtida, ſi quid nonnunquam confert, id indirecte potius ob nauſeam aliorum graveolentium more conferre videtur. *Caſtorei* præparata ſunt, ejus *Extractum* ad aliquot grana, item *Eſſentia* ad guttas xx — xxx. data, vires habent magis concentratas, diffuſas vero *aqua Hirundinum cum Caſtoreo*, pro uſu externo inſeruit ꝏ *coctum. Moſchus* Biſam, eſt ſubſtantia pinguis, ſale volatili oleoſo, ſapore ſub acri amaricante, odore fragrantiſſimo conſtans. *Zibethum* Zibeth, eſt ſubſtantia unctuoſa, ſale volatili oleoſo ſcatens, odoris fragrantiſſimi, ſaporis ſub acris; quoad vires & cautelas etiam circa Idioſyncraſiam conveniunt cum Ambra, imo hæc plurimis magis adhuc adverſa ſunt. *Fel & hepar Anguillæ* blando igne exſiccatum & pulveriſatum aſſervandum eſt, continet multum olei blandi & ſalis volatilis. A plurimis auctoribus mire ad partum facilitandum & promovendum extollitur, jubent autem ut recens ſit, quia facillime corrumpitur, datur ad ʒß in ▽ Cinamomi. Ejusdem virtutis etiam cenſentur *jecur & hepar ſerpentum* ac *viperarum. Ægagropila* Gembſen Kuglen ſunt pilæ diverſæ magnitudinis in Damarum ventriculis a comeſtis vegetabilium filamentis & ſucco gaſtrico in maſſam compactæ.

pactæ, leviſſimæ ſale volatili oleoſo cum multis terreis particulis conſtantes, doſ. earum ℨß - ℈ji *Teſticuli Equini ut & Cervini* per caſtrationem exempti & fumo indurati, odorem habent fuliginoſum, ſaporem quodammodo acrem, agunt propter ſal volatile cum multo oleo junctum, ingrediuntur imprimis pulverem ad dyſtokiam. *Secundinæ humanæ præparatæ* nauſeabundum hoc magma conſtat quidem ſale volatili oleoſo, ſed una cum extracto & præparatis inde pulveribus, ob nauſeam & infidum ſucceſſum merito rejicitur, ſpiritus autem cum illo C. C. vel ſanguinis coincidit. *Urinæ humana* per ſe tepide pota & *Stercoris equini* cum vino ſubacti ſuccus expreſſus, illis relinquendus, quibus nauſeoſa hæc potulenta placent. *Spiritus* & *Sal C. Cervi volatile & liquor* C. C. *ſuccinatus* ſaporem habent acerrimum, penetrantem, ſpecificum, odorem vehementem, ingratum, urinoſum, ſanguinem valde attenuant, incidunt, reſolvunt, aperiunt ac penetrant, fortiter ſtimulant, & ſubito excitant, doſis ſpiritus eſt ad gtt. v.-x. &c. ſalis ad griij. x. liquoris ad aliquot guttas usque ad x. vel xv. Et hæcce ſimplicia, quorum principia & vires impr. ex *Hermanni Cynoſura M. M. & Comm. Bœcleri* deſumſi, ex inſigni remediorum partum promoventium farragine ſufficiant, e quibus innumeras fere formulas concinnarunt authores.

§. XXIV.

Quodſi nunc quis tam ſtructuram corporis muliebris & imprimis uteri gravidi, quam activa horum remediorum principia, & modum agendi rite perpendit, confiteri cogitur, fœminas præ viris compagem habere debiliorem, genus nervoſum ſenſibilius, vaſaque laxiora & copioſiora; uterum per multos nervos cum toto cor-

pore

pore communicare, gravidum mole ſua viſcera ac vaſa in abdomine comprimere, adeoque ſanguinis circuitum & actiones partium tam in abdomine quam alibi multum impedire, ejusdem vaſa immenſum in modum dilatata, fibras ac membranas fere ad rupturam extenſas eſſe; ſimul urgentibus ad partum doloribus majorem adeſſe partium firmarum in ſolida, & vice verſa actionem, hinc fortiorem & celeriorem ſanguinis circulum, remedia vero plurimam partem prius quam in uterum vires exerant, totum nervoſum genus exagitare, & omnia liquida in celeriorem circulationem & majorem orgasmum concitare. Jam vero ex antecedentibus clare patet, ſi omnia debito modo conſtituta ſunt, partum per ſolam naturæ energiam rite accidere; in illo ergo caſu etiam omnia propellentia neque præſervative neque curative locum habent. Verum enim vero ſi dolores tergiverſantur, vel plane ceſſant, crederet remediorum partum promoventium patronus, illa tum abſolute neceſſaria eſſe, ſed quoniam illi tempore, poſt aliquatem quietem vel ſomnum, aut per placidum & repetitum oris uteri attactum facile redeunt, probante hoc præter alios Johanne Hornio in tractatu cui titulus die zwo von GOtt wohl- belohnte Wehe- Mütter Siphra und Pua p. 75. non opus eſt, ut major fibrarum contractio, & intenſior ſanguinis orgaſmus per remedia excitetur, ubi fœtus æque ac uterus bene locati, os uteri apertum, & membranæ nondum ſaltem non diu ruptæ ſunt; cunctando enim eo in caſu plus effici, quotidiana probat experientia, quam ſi fortibus remediis partum accelerare quis volet. Et licet tot tantorumque in arte medica & obſtetricia virorum auctoritas & experientia contrarium evincere videatur, ex accidenti tantum partum per decantata remedia promotum fuiſſe, eosque fallaciam cauſæ non

non cauſæ commiſiſſe, confido, præſertim cum aliqui eo usque extollant illorum medicamentorum efficaciam, ut etiam aquis diu jam effluxis, & conſequenter utero fortiſime contracto, foetu & utero male locato, partum ſucceſſiſſe perhibeant, id quod, ſi non impoſſibile, multis tamen periculis obnoxium eſſe certus ſum, & multis probarem exemplis, niſi ob urgentes rationes vela diſſertationis contrahenda eſſent, illa remedia hinc inde in toto corpore ſpaſticas contractiones, capitis aliarumque partium dolores, varias hæmorrhagias & paralyſes, febres acutas, convulſiones, & impr. uteri hæmorrhagiam enormem, inflammationem, rupturam, prolapſum aliaque ſontica mala, imo ipſam vel fœtus vel matris aut utriusque mortem induxiſſe. Certe quotidiana experientia probatisſimorum tam in arte Medica quam obſtetritia virorum, qui parturientibus ſæpiſſime ope ſua adfuerunt, partum naturalem tutius absque remediis promoventibus abſolvi, & in p. n. eorum uſum plane noxium eſſe, ſatis abunde comprobat, ſic enim Deventer l. c. C. I. ſancte aſſerit, *ſe ab illo tempore, quo meliora edoctus fuerit, ſine exhibitione ullius propellentis medicamenti usque ad finem vitæ partum cito ac feliciter expediviſſe*; & ſæpius cit. D. De la Motte L. II. C. XXV. & ſeq. quam maxime uſitata illa remedia obſervationibus ſuis impugnat, ac ſolidis argumentis refellit, quibuscum & D. D. Fried, multiplici edoctus experientia conſentit. Quamobrem ea remedia quæ vias laxant & emolliunt, leniter diſcutiunt, ac blande vires reſtaurant, tantummodo adhibenda, vana vero & innocua non niſi ex politia medica ſuadenda vel permittenda, reliqua vero ſumma cum cautela uſurpanda eſſe concludo.

F I N I S.

Præcellenti DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

HENR. JACOBVS DE LA MOTTE, Gedanenſ.

Medicinæ Licentiat.

NOn brevem TE in arte obſtetricandi militiam quaſi tranſiiſſe, non ſolum experientia Tua hac in arte multifaria, ſed & hoc de Ecbolicis remediis editum ſpecimen, teſtantur. Æthiopem ſane lavarem, ſi laudibus ſpeciminis hujus immorarer, cum unicuique legenti ſatis ſuperque conſtabit, quanti æſtimandum ſit. Potius mei eſt, ut cæteris cum amicis & mentem meam, quam gratisſimam Tibi, Amice Suavisſime, declarem, & acclamationibus Tibi de inſigni Eruditionis Tuæ edito ſpecimine Salutantium, & meas jungam, ut pari dexteritate facilitateque adhuc ſuperanda ſuperes, tandemque redimitus Laurea Doctorali ſalvus ſoſpesque Parentibus cœterisque reddaris pignoribus, & ut illis gaudio, ſic ægrotantibus ſolatio, diu diuque intereſſe queas. Mihi vero memoriam Tui pectori infixam manſuram, & ubique terrarum ero, me in omnia amicitiæ noſtræ officia deſcenſurum eſſe, credas. Vale.

De

DE Medicinarum doctè nunc diſſeris uſu
Cauto, quæ faciunt partum *hominis* celerem;
Det Deus! ut ſerves vitam *nati* quoque ſanam,
Obſtando morbis arte tuâ reliquis:
Tunc *Tibi* pro meritis magno mox cedet honori
DOCTORIS Titulus, qui Tibi ritè datur.

Hexaſticho hocce

Nobiliſſimo ac Doctiſſimo Domino Candidato amicè gratulari voluit

JOHANNES BLASIVS,
Heydelbergâ-Palatinus. V. D. M.